Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1953

Quelle:
Copyright:

da quello, che la ſogliono dipingere coſtoro, che con tanto odio la perſeguitano. Itaque et *Mutius* eam avet cognoſcere, dumque *Silvius* ad docendum ſe accingit, *Dialogus* explicit. Adſcribendum tamen eſt initium: *Silvio. Hauendo noi hoggi da fare una aſſai lunga caualcata, parti egli, Mutio mio, che noi prouiamo, ſe con qualche ragionamento la ci poſſiamo render men diſpiaceuole?* Mutio. *Parmi certamente* &c. Stilus nitidus eſt. Autorem ignoro, niſi quod identidem in mentem veniat *Pet. Pauli Vergerii* jun.

DIII.

908 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 741. 4. compilatus eſt e variis Scriptis Religionis Controverſias tractantibus, quae ordine ſuo perſequemur. I. *Reſponſio de libello d. Franciſci Cordubenſis.* MDLXII. Incipit: *Ampliſſime domine, Libellum d. Franciſci Cordubenſis a tua amplitudine accepimus et pro tua petitione ſecundum regulam S. Pauli illum probauimus, quæ bona inſunt libello, excerpimus et probamus, Reliqua ſecundum ſcripturam rejicimus* &c. Judicium iſtud Paſtorum proteſtantium eſt, a Viro quodam in dignitate conſtituto, ut adparet, exquiſitum. *Libellus autem Franciſci*, ipſorum verbis, *Pragæ excuſus* eſt *cum conſenſu Metropolitani.* Agitur itaque de Opuſculo inſcripto: *De Officio Praelatorum*, quod *Pragae* 1562. 8. edidit *Franciſcus de Corduba* Sodalis Franciſcanus cum *Maria Maximiliani* II. Imp. conjuge, cujus conſcientiae arbiter erat, in *Germaniam* delatus, vir pro merito doctrinae ſuae haud ſatis notus, cujus etiam *Annotationes in Religionis Articulos a Sectariis controverſos Vien.* 1567. *Colon.* 1572. 8. impreſſae in Bibliothecis deliteſcunt. Multa in eo probant Cenſores ſupra dicti, interque alia, quod ſcripſit: *Non eſſe contra Fidem Catholicam, Laicos communicare ſub utraque ſpecie.* Quae vero rejiciunt, e *Codice* deperiere.

II. *fol.* 12. *Inſtructio ex euangelio de toleranda et vincenda cruce.* In folio praevio dicatur *Clariſſimo Juris Doctori d. Joanni Hiltnero antiſtiti reipub. et eccleſiae Ratisponenſis, domino et patrono ſuo eximio.* Additur μονογραμμα e literis N. et H. quod *Nicolaum Hahn* ſive *Gallum* prodit, cujus Epiſtolae ad eundem *Hiltnerum* alias meminimus. *Inſtructio* noſtra *fol. ult.* vacuo dicitur etiam: *De eccleſiae afflictionibus et conſolationibus*, et aliquantum convenit, ut videtur, cum ejusdem *Galli* Scripto vernaculo: *Von dem Kampfe des Geiſtes und Fleiſches;* ignoratur vero ab iis, qui ejus Scripta enumerant.

III. *fol.* 26. Viſio quaedam, ſeu, ſi mavis, Somnium de Leone in Conclavi homines exterrente, et tandem in Chriſtum converſo, addita per ſingulas partes